

dessen Glossen und Varianten aber erhalten sind, steht die Glosse *tertusum id est castratum*. Diese Deutung ist offenbar ganz richtig, denn der *porcellus tertusus* ist ein männliches Ferkel, ein kleiner Eber, der kastriert ist, weil er nicht zur Zucht bestimmt ist, sondern gemästet werden soll. Die zweite Glosse, die in dem Glossarium des Pithoeus (Parisii 1602)¹³⁾ steht, lautet: *porcellum tertusum qui domi nutritur vel in domibus pauperum*¹⁴⁾. Der Zusatz: *der zu hous* bei Pithou stammt von ihm selbst. Auch diese Glosse läßt sich erklären. Sie besagt, daß der *porcellus tertus(s)us* nicht in den Laubwäldern mit herabgefallenen Eicheln und Bucheckern in ganzen Herden gemästet wurde, sondern im Stall (Kofen, allenfalls in der Hürde), um möglichst schnell fett zu werden, was besonders wohl bei den ärmeren Leuten, die sich nur wenig Schweine halten konnten, der Fall gewesen ist (daher: *in domibus pauperum*).

Damit bin ich am Ende meiner Untersuchung. Ich halte den *porcellum tertus(s)um* für einen jungen kastrierten Eber, der sowohl weniger als ein Jahr, als auch über ein Jahr alt sein konnte, der nicht in den Wäldern, sondern im Stall gemästet wurde. Gegensatz: *verres* „der unverschnittene Zuchteber“ und *majalis* „der verschnittene ältere Eber.“

Schwerin i. M.

Ernst Schwentner

AUGUSTI EPISTULA AD HORATIUM COMMENTARIO INSTRUCTA

Editiones recentiores

- A. Reifferscheid, *C. Suetoni Tranquilli reliquiae*, Lipsiae 1860, pag. 47,5-12 (codicum sigla: pag. 44).
 A. Rostagni, *Suetonio de poetis e biografii minori*, restituzione e commento, Torino 1944, pagg. 118-119.
 M. Lenchantin de Gubernatis, *Q. Horati Flacci Carminum libri IV Epodon liber Carmen saeculare*, Augustae Tau-

13) Aus dem Codex Parisinus 4418, vgl. E. Steinmeyer, *Kleinere ahd. Sprachdenkmäler* (Berlin 1916) S. 57.

14) Ebenfalls bei Merkel, Hessels, Behrend und Geffcken gebucht.

rinorum 1945, pag. 3,15-21 (praecedunt sigla codicum: vide *de vitae Horati Suetonio adscriptae codicibus*, pagg. XXXIII-XLII). Huius editionis siglis utor*.

H. Malcovati, *Imperatoris Caesaris Augusti operum fragmenta*³, Augustae Taurinorum 1948, pagg. 23-24.

F. Klingner, Q. *Horati Flacci opera*², Lipsiae 1950, pag. 3, 7-14.

Textus suetonianus

(Horatius) habitu corporis fuit brevis atque obesus qualis et a semet ipso in satyris describitur et ab Augusto hac epistola: „Pertulit ad me¹ Onysius² libellum³ tuum, quem ego ut excusantem⁴, quantuluscumque est⁵, boni consulo⁶. Uereri autem mihi uideris ne maiores libelli tui sint quam ipse es. Sed tibi statura deest⁷, corpusculum non deest⁸; itaque licebit in sextariolo⁹ scribas, quo¹⁰ circuitus voluminis tui sit $\delta\gamma\kappa\omega\delta\acute{\epsilon}\sigma\tau\alpha\tau\omicron\varsigma$ ¹¹, sicut est uentriculi¹² tui“.

Paraphrasis

Pertulit ad me Onysius volumen tuum quod ego, quamvis altitudine et longitudine breve sit, tamen in bonam partem ideo accipio quod se excusat brevitatis. Ut mihi videtur, tua praecipua cura est ut volumina tua te exaequent mole, neque sint maiora quam tu es. Si haec cupis, falleris scribendo in eiusmodi voluminibus, quae aequae pedalia sunt atque tu es, sed latera directa habent, cum tu contra, pinguis et ventrosus, sis in medio crassior. Alias igitur scribe non in eiusmodi voluminibus sed in superficie sextarii (i. e. vasis brevis in medio crassioris) ut tale volumen (i. e. sextarius tuis carminibus inscriptus) referat verissimam imaginem tui: nam amborum (i. e. tui et sextarii) circuitus est in medio bene crassus.

Commentarius

1 *pertulit ad me*. „Perferre ad aliquem aliquid“ praesertim „mandata“, „epistulas“, „libellos“, et sim. usurpatissimum videtur et e cottidiano sermone fortasse sumptum.

2 *Onysius* K(=codices vitae longioris), σ(=codices vitae brevioris) praeter U, codex Nanni :*Hon*-(scil. ex *on*-) Sicco

* Eiusdem docti viri laudo stemma codd. vitae Horati: cf. *I mss. blandiniani e la vita suetoniana di Orazio* »Studi it. di Filol. class.« N. S. 18 (1941), pag. 87.

Polenton :*Dionysius* U(=Vat. lat. 3866, saec. XI), Nanni emendatio, Mureti recensio, Cruqui recensio :*Onesimus* Glaeser :*onustus* van Johnson.

Dionysii frequentes sunt in inscriptionibus latinis, Onesimi et alibi et in papyris graecis: non ideo mutandum censeo nomen perrarum. Hac ratione opinor quendam depravasse lectionem difficiliorem, quod et Dionysius tyrannus late cognitus fuit antiquo medioque aevo et multi sancti extiterunt Dionysii cognomento. Onysia (id est Ὀνυσία) appellabatur insula prope Cretam, teste Plinio *n. b.* IV, 61, pro quo nomine, fortasse antegraeco, certe adhuc inexplicato, falso proposuit Διονυσία Beloch (de his rebus cf. E. Kirsten, *Realenc.* XVIII, 534 sq.). Fuitne ab ea oriundus noster? (cf. enim „Lydia“, „Lycia“ regiones, „Leucadia“, „Chius“ insulae, etc. et „Lydius“, „Lycius“, „Leucadius“, „Chius“ nomina muliebricia et virilia praesertim servorum, ut apparet ex lapidibus latinis). Legitur in CIL, II (Hispania) 3905 ON(y)SIUS (Dionysius? editor); sed ibidem 3286 sine ullo dubio scriptum est „Aurelius ONYSIANUS libertus“ aetatis antoniniana, quod cognomen, tractum seu ab Onysio seu ab Onysia insula demonstrat „*Onysium*, -am“ verum nomen extitisse.

Perperam T. Frank¹⁾ suspicatus est *Onysium* esse nomen tractum ἀπὸ τοῦ ὄνου, quod valet „asinus“, atque hunc Onysium eundem esse ac Vinnium Asinam, de quo in Hor. *ep.* I, 13, cui tradita sunt ab Horatio nonnulla volumina ad Augustum referenda, in quam sententiam pedibus it Rostagnius, ad h. l.: sed inauditum est tale suffixum -υσος. Ineptissime Van Johnson²⁾, ratus nomen latoris a Suetonio esse omissum, restituit adiectivum *onustus*, quasi ὄνος + τος, quod monstrum est eiusdem lanae atque anglica interpretatio *bur(ro)dened*, id est *burdened*, i. q. „gravatus“ et *burro*, i. q. „asinus“.

3 *Libellum* pro „volumine“, ut saepe. Lepiditas insequentium iocorum oritur a comparatione trium figurarum fere simillimum: voluminis perlati, Horati, sextarii. Volumen convolutum referebat figuram cylindri saepe pedalis (= cm. 30), interdum vel maioris vel minoris altitudinis (e. g. semipedalis = cm. 15).

1) T. Frank, *On Augustus' references to Horace*, „Classical Philology“ 20 (1925), pag. 29 (et iterum in *Catullus and Horace*, Oxford 1928, pag. 286 n. 25).

2) Van Johnson, *Nimius, Vinius and Onysius*, „Classical Philology“ 35 (1940), pag. 422.

Verisimile est Horati volumen fuisse solito minus, quod apparet non ex *libellum tuum* sed ex insequente *quantuluscumque est*. Nam, etsi epistola abundat deminutivis affectivis (cfr. ad *sextariolum*), non eiusdem naturae mihi videtur esse *libellus*, quo verbo iterum utitur Augustus infra: *libelli tui*. Augusti enim temporibus *liber* et *libellus*, voces communissimae, fere suam quisque vim obtinebant: cf.: „famosus libellus“, „libellus accusatorius“, „delationis“, etc.; *libellos* speciatim vocabant poetae libros suos: cf.: Catul. 1, 1; Ovid. *ar. am.* III, 206 *parvus libellus* (id est „libellus de medicamine faciei“); Pers. I, 120; Iuv. I, 86; ita ut bibliopolarum tabernae vocarentur *libelli* (cf. Mart. V, 20, 8; Catul. 55, 4; etc.)³⁾.

Quid in libello fuit? Certe non agitur de brevi epistola, ad quam magis idonei fuissent codicilli, neque de pluribus libris, quibus unus libellus non suffecisset. Tamen T. Frank⁴⁾, cui assentitur Van Johnson⁵⁾, autumat hic agi de voluminibus traditis Vinnio Asinae-Onysio (cf. Hor. *ep.* I, 13), quae multorum opinione essent tres priores carminum libri. Quod refuto. Fuerit sane idem Onysius et Vinnius Asina, tamen non est demonstratum de iisdem rebus agi. Quin etiam in *ep.* I, 13 Horatius loquitur de pluribus libellis (v. 4), de „fasciculo“ voluminum (v. 13), hic contra perlatus est unus libellus et idem brevis. Sed perfutiliter T. Frank⁶⁾ causatur levem errorem Augusti, qui rescripsisset „before opening the package“! Solvet fortasse quaestionem insequens locus.

4 *ut excusantem*, Reiff., Malc. : *ut accusantem* K, codex Nanni, Mureti recensio, Lench., Kling. : *ut accusatorem* (glossa lectionis *ut accusantem*)σ : *ut accusem te*, (emendatio ex *ut accusantem*) Sicco Polenton, Bentleius : *ut non* (ne Laminus, Cruquius) *accusem brevitatem*, Nanni emendatio : *ut a causante*, Rothius. : *ut se accusantem* Rostagnius, causatus hoc et *ut excusantem* idem valere: † *ut accusantem* † E. Fraenkel⁷⁾, professus locum nondum sanari potuisse.

3) Sed contra censet deminutivum esse E. MacCartney, *Augustus compares Horatius to a sextariolus*, „The Classical Journal“ 44 (1948), pag. 55: Augustum exprobrasse Horatio quod mitteret *libellos*, cum posset mittere *libros*.

4) T. Frank, *o. c.*, pag. 28—29.

5) Van Johnson, *o. c.*, pag. 420.

6) T. Frank, *o. c.*, pag. 30.

7) Cf. E. Fraenkel, *Horace*, Oxford 1957, pag. 20.

Lectio tradita *ut accusantem* corrupta videtur, eamque multi conati sunt sanare, perperam servato verbo „accusare“, suppletoque obiecto (*te, se, brevitatem*). Praeterea „accusare“ praesertim vim iudicalem habet, sed hic agitur neque de libello accusatorio, neque de libello delatorio, neque de famoso libello, etc. Recte coniecit Rothius subesse verbum vim reflexivam habens; optime autem, meo quidem iudicio, quoad palaeographiam et sensum, emendavit Reifferscheid. Nam saepe in codicibus deprenditur *acc-* pro *exc-* (interdum enuntiatum *ecc-*) et vice versa, ut apud Vergilium Aen. 3, 210 *excipiunt: accipiunt* cod. Mediceus saec. V⁸), et „excuso“ saepe usurpatur absolute vi reflexiva: cf. *excusantia verba* apud Ov. met. 9, 215; „*excuses licet et causeris*“ apud Hier. ep. 22, 25 et praesertim Martialem, I, 70, 16—17, qui ita alloquitur librum missum ad Proculum:

si [Proculus] dicet „Quare non tamen ipse [scil. Mart.] venit?“ ,
sic licet *excuses* . . .

Adde quod nonnumquam participia praesentia vi reflexiva usurpantur ut „*uoluentia plaustra*“ apud Verg. geo. I, 163; *mensum uortentem*“ apud Pl. Pers. 628, etc.⁹). Quibus rebus recte iudicari potest hic „*excusans*“ valere quasi ἀπολογούμενος.

Igitur, si in libello Horatius scripserat aliquid se excusans, scil. brevitatis, facile apparebit de nullo alio opere horatiano agi posse potius quam de epistula ad Augustum II, 1, his verbis incipiente:

„Cum tot sustineas et tanta negotia solus,
res Italas armis tuteris, moribus ornes,
legibus emendes, *in publica commoda peccem*,
si longo sermone morer tua tempora, Caesar.“

Epistola longa est 270 versus: eam recte appellare potes *libellum*. Non utitur Horatius verbis „excusatio“, „excusare“, et sim., sed hic de excusatione agi recte censuit commentator antiquus: „hoc principium . . . ab *excusatione* quod . . .“ (Porph.), „principium huius libri *excusat se* quod“ (Schol. in Hor. λφψ Botschuyver), „in primis [Horatius] *sese excusat*“ (Comm. cruq.).

8) Cf. praeterea *accipio/excipio* apud Hor., sat. 1, 5, 1; Liv. XXIX, 34, 13; Cels. V, 27, 2b; *excido/accido* apud Sil. It. XVI, 290; etc.

9) Super hanc rem cf. A. Traglia, *La flessione verbale latina*, Torino 1950, pag. 163.

5 *quantuluscumque est*: deminutivum affectivum (cf. ad *sextariolum*). Propositio valet „quamvis brevisculus sit“, neque pendet a praecedente vocabulo, ut explicite vult Frank (qui laudat *accusantem*¹⁰). Qua re, ut Roth., Reiff., Malc., interposui comma, omissum a Rost., Lench., Kling., Fraenkel.

6 *boni consulo*. Cf. Pl. *Truc.* 429 „*Quidquid attulerit, boni consulas*“. Locutio, ex usu sumpta potius quam ex lectione, valet: „in bonam partem accipio“, ἡδέως ὑποδέχομαι, „satis habeo te tandem per hunc sermonem [i. e. epistolam II, 1] mecum locutum esse“. Ante epistolam II, 1 „expressam“, ut verbis suetonianis utar *Hor. Vita* p. 46 Reiff., Augustus scripserat ibidem „*irasci me tibi scito*“, sed nunc, ira deposita, in iocos effunditur, more suo¹¹).

7 *tibi statura deest*: cf. *Sue. brevis*, et *Hor. sat.* II, 3, 309, de se *moduli bipedalis*. Inter alios iocos Augustus appellabat Horatium „*homuncionem lepidissimum*“ et „*purissimum penem*“ *Hor. Vita* 45 sq. Reiff., quibus adlocutionibus ad brevitatem staturae alludebat, ut recte monet E. Bickel, *Mus. Rhen.* 96 (1953) pag. 95. Saepe iocatus in altitudinem, hac epistula Augustus iocatur etiam in crassitudinem horatianam.

8 *corpusculum non deest*: cf. *Sue. obesus*. Deminutivum affectivum (cf. ad *sextariolum*). In sermone affectivo partes corporis saepe vocabantur deminutivis, cf. enim *buccula brachiolum, labellum, auricula, digitulus*, etc. Eiusdem generis hic invenimus *corpusculum et ventriculus*. *Corpusculum* legitur inde a Plauto per totam latinitatem; etsi Graeci habebant σωματίον, nullam partem imitationi concedo, cum sit *corpusculum* tam latinum, tam consentaneum usui cottidiano, adfectivo deminutorum¹²).

9 *in sextariolo*. Epistula abundat deminutivis affectivis, scil. sermonis cottidiani: *quantuluscumque, corpusculum, sex-*

10) T. Frank, *o. c.*, pag. 29.

11) Cf. *Macr. sat.* II,4,12 *Caesar Augustus affectavit iocos*, et insequentibus iocos, inter quos est epistula ad Maecenatem, quam edidi commentarioque instruxi „*Rheinisches Museum für Philologie*“ 101 (1958) pag. 147.

12) Sed J. Hanssen, *Latin deminutives*, Bergen 1952, pag. 207, nescio quo iure, loquitur de σωματίον „actors' padding“, quod fuit scenicum ornamentum, fortasse ex centonibus, quo plenior figura efficeretur.

tariolus, ventriculus (unde colligitur quanta comitas et familiaritas fuerit inter vatem et Caesarem), igitur *sextariolus* valet „sextarius“¹³⁾, mensura vulgatissima aridorum et praesertim liquidorum (cf. Hor. sat. I, 1, 74 „ematur . . . sextarius vini“). Sextarius - quod vas, ut hodiernis mensuris comparatur, plus quam dimidium litrum capiebat, (usque ad memoriam patrum duravit Romae mensura fere par „una foietta“ nuncupata) - obstrictior ab ore et a pede in medio patescebat ventrosus. Vidi tamen in museis saepe vasa pedalia, sextarii capacia, pariter ampla et ab ore et a pede, in medio tumentia, quae cyathorum vices explere possent, referentia figuram cylindri, inserta in medio sphaera crassiore. Tali vasi alludebat Augustus? In *sextariolo*, quod quidem „vas vinarium“ valeat, est fons lepididatis et festivitatis epistulae: libelli Horati, tam breves sunt, poterunt inscribi in superficie sextarii, hausto scilicet vino. Attamen insulsissime T. Frank¹⁴⁾ coniectavit *sextariolum* fuisse nomen praecipuum, aliunde incognitum, quorundam voluminum aliorum duos pollices (= cm. 5), id est sextam partem vulgaris voluminis (= cm. 30). In hanc sententiam descendit Rostagnius ad h. l., adiciens „l'interpretazione del passo riesce così più calzante“.

10 quo Salmasius et doctissimus quisque post eum :*quum* codex Nanni :*cum* K, Sicco Polenton, Mureti recensio, Cruqui recensio :*ut* (glossema veri *quo*)σ. *cum*, *quum* sunt falsae restitutiones veri *quo* :*quo* } *quō* } *quom* } *quum*, *cum*¹⁵⁾. *quo*, ut interdum apud Plautum Terentiumque¹⁶⁾, valet „ut“, vim finale habet neque postulat necessario post se comparativum: hoc e sermone cottidiano sumptum esse videtur.

11 ΟΓΚΩΔΕΚΤΑΤΟC Nanni emendatio, Cruqui recensio :ΟΓΚΩΔΗΚΤΑΤΟC ψ :corruptius ceteri testes, sed eadem corruptiones deprenduntur, quas univere exhibent vocabula graeca manuscriptorum latinorum ob similitudinem litterarum, id est pro Γ: Τ, Ι; pro Δ: Α, Λ; pro Η: Ν. Omnes testes

13) *Sextarius* mansit in linguis romanensibus, e. g. it. *stàio* (cf. M. L. 7887); *sextariolus*, quod nunquam alibi legitur in latinitate, vivit fortasse in *staidòlo*. Ut *sextarius/sextariolus*, confer vocabula, adhuc vigentia, *quartaro* (in Apulia) a *quartarius* et *quartaròlo* (Romae) a *quartariolus*, quibus vocatur cupella continens quartam partem cupae vinariae.

14) T. Frank, o. c., pag. 29.

15) Cf. L. Havet, Manuel de critique verbale, Paris 1911, § 755.

16) Cf. *Amph.* 834, *Rud.* 1329, *And.* 472, *Heaut.* 127 et Cic. *de leg.* II, 60 (XII Tab.).

exhibent -H-, quod raro invenitur pro E. E. Fraenkel, o. c. pag. 20, n. 4, censet esse emendandum *δγκωδέστερον* (scil. iniuste adhibita grammatica ratione, ut sit comparativum post *quo*), testatus sic scripsisse Fridericum Leo in margine sui exemplaris libri Reifferscheidi qui est de Suetoni reliquiis; quin etiam addit vulgo inveniri *-τερος* pro *-τατος* et vice versa. Sed haec confusio deprenditur tantum in codicibus graecis et orta videtur praesertim ex mala solutione compendiorum scripturae minusculae (ignotae scribis occidentalibus) *τρ ττ*, quae copistae graeci medi aevi interpretabantur saepius *-τερος*, sermonis cottidiani, pro obsoleto *-τατος* (sic in Theocr. 15, 139; 15, 145; 17, 4; in Aesch., *Sept.* 568, 598; etc.). Graeca verba textuum latinorum servaverunt semper formam maiusculam, alienam ab iis compendiis. Eadem verba, quantum scio, nunquam interpolata videntur, sed potius graphice corruptiora de codice in codicem. Qua re non video quomodo potuerit fieri in hoc textu talis confusio. Praeterea „quo magis crassus sit circuitus...“, ut videtur interpretari Fraenkel, minus efficax est ac „ut crassissimus sit circuitus...“, ubi „crassissimus“ valeat „bene crassus, sehr groß, bello grosso“ (non „alquanto imponente“ ut inepte vult Rost.).

δγκώδης saepe dicitur apud medicos et animalium descriptores de partibus corporis vel humani vel ferini quae tumeant seu natura seu aliquo morbo, ut e. g. de corporibus avium apud Aristotelem, *part. animal.*, 694a, 11; de lateribus equorum apud Xenophontem, *hipp.* I, 12; de mamillis mulierum apud Soranum, *CMG*, IV, 31, 29; etc. Qua re, ut videtur, adiectivum, valens „bene crassus“, recte tribuitur Horatio, naturaliter ventroso, pingui, obeso.

Suspicio Augustum sumpsisse verbum hoc, ut alia multa alibi, ex sermone medicorum graecorum, quorum multi, e. g. Antonius Musa, artem suam clarissime Romae exercebant.

12 *ventriculus*: deminutivum affectivum, ut apud Iuven. 3,93, ex sermone cottidiano, pro „ventre“, cum *ventriculus*, terminus technicus usurpatissimus, apud Celsum aliosque qui de medicina scripserunt (et apud hodiernos medicos) valeat „pars stomachi“, „pars cordis“, et sim.